

PROLEGOMENA

54

lat, & Sedes Apostolica proscriptis, aliud non agit, quām ut omnem Jansenii sensum à damnatione liberet, pag. 427. afferens, licere, ac semper licuisse aliquem damnatarum in Jansenio propositionum sensum defendere, cum scilicet, qui unicus in famoso illius Antistitis volumine continetur. Sed & unicum esse propositionum illarum sensum, argumento ineluctabili ex ipsa adversariorum professione conficitur: Jansenistarum legati, inter quos erat Lalanius Articulorum parens, ut à Jansenii dogmatibus sententiam damnationis averterent, libellum supplicem Innocentio X. porrexere hoc fallaci titulo: *Brevissima quinque propositionum in varios sensus distinctio*: qui vulgo libellus trium columnarum appellatur. Fallacem voco titulum, quia dum propositionum sensus varios promittit, totus libellus non nisi unicum designat, expressum ordine secundo; nam primus exhibet columnmodo sensum, qui propositionibus malignè affungi posset, quem tamen legitimè sumptuose habent. Tertius ordo non continet nisi Propositiones, quinque accusatis propositionibus contrarias, ut ab adversariis, nempe Jesuitis, & aliis Molinæ sequacibus, defenduntur.

Evidens autem est, propositionum sensum non esse eum, qui non nisi malignè eis affungi posset; multò minus earum sensus dici potest, quem esse constat illis *contrarium*. Dum igitur Jansenistarum legati varios pollicentur Propositionum sensus, unicum esse invictissimè confirmant; qui videlicet in secunda columna est, & quem se defendere profitentur, verbis quidem mollioribus, & minus, ut solent, dilucidis enuntiatum. Neque ignorat Quesnellus, neque negare unquam ausus fuerit, propositionum sensum, quem ait, *defendere semper licuisse, esse ipsum Jansenii*.

Alibi dolet nondum advenisse tempus, Jansenium ab injurya vindicandi, sive, ut ejus verba gallica latine reddam ex scripto, quod incipit, *Legi Amice care pag. 1. Non agitur modo de efficiendo, ut redditur Jansenio omnis justitia, que ipsi debetur, neque de avertenda omni injurya, eidem ab hostibus illata. Istud facile non est: hostes ejus adhuc nimium potentes sunt; Judices autem nondum sat's intellectu prædicti.* Propositiones autem Quesnelli Jansenianam hæresim distinctius refuscitantes, plurimè sunt inter eas, quas Bulla *UNIGENITUS* profligavit. Unde quis dubitet, quin Articuli quinque cum damnatis in Jansenio propositionibus confondere possint, ut illorum re ipsâ cum his coniunctio in primis Articulorum scriptoribus deprehenditur?

Hinc turpissimi iterum mendacii convincit Quesnellus, dum ad calcem Articulorum ait: *Declaramus, bis nostram omnem circa materiam quinque propositionum doctrinam contineri.* Quid enim, an quinque Articulis continetur omnis doctrina Jansenii, hæreticis quinque propositionibus expresa, quam ab Articulorum Authoribus, & præcipuo eorum buccinatore Quesnello sustineri notissimum est, ut pluribus Tractatus proximi capitibus demonstratum dabo? Interim lectori Catholico sufficiat Apostolicæ Sedis sententia, in Constitutione *UNIGENITUS* declarans, atque definiens, in Quesnelli Observationibus moralibus haberi, propositiones etiam hæreticas, variasque manifestè innovari hæreses, & potissimum illas, *qua in famosis Jansenii propositionibus, & quidem in eo sensu, in quo hædammata fuerunt, acceptis continentur.*

In Explicatione Apologetica pag. 70 obicit Quesnellus Theologos aliquos Articulis faventes, quorum unus in Thesibus anni 1699. dixerit, horum Articulorum doctrinam qui profitetur, mibi bac in parte Thomista est germanus: qui impugnat, vel non recipit, anti-Thomista, seu Thomista spurius; imo vix Catholicus.

Ego admissionem Articulorum nemini verto crimini. Si Thomistæ aliqui sensu Thomistico intellectos adoptare voluerint, abundant in sensu suo, ut lubet; at non minus splendidum propterea mendacium Quesnelli erit, omnem suam, suorumque Jansenistarum circa materiam quinque propositionum doctrinam bis articulis contineri. Appello quotquot è Theologis non Jansenianis Articulos adoptaverint, num censeant omnem Lalani, Girardi, Arnaldi, Quesnelli doctrinam circa quinque propositionum materiam his Articulis contineri? Negabunt indubie, ac pernegabunt, nè Jansenianam hæresim, quam constat ab illis Articulorum Authoribus, & Quesnello certissimè sustineri, ipsi quoque adoptasse videantur; imò confessionis suæ testimonio convincantur quodammodo irrefragabili. Ignoscamus Thesum Authori, qui in scholam Seraphicam, Jesuiticam, & quascunque non faventes Articulis censuram strinxit tam improvidam, nec majoris ponderis, quām judicium de sanctitate Quesnelli, & Sociorum, *la sainte famille*. Ut scilicet viris, etiam religiosis, subinde contingit, sanctitatem ab hypocrisi non satis fecernere, ita nec fraudes detegere, quæ subdolis hæreticorum professionibus occultantur. Sic Lovanienses Theologi in editione operum Sancti Augustini, Tomo 10. ut ajunt, emendato, rejectis sermonibus quibusdam suppositiis, Augustino tri-